

Auspurg
de causis ob
quas... paucimi-
ni ad solidam
errugant
eradicationem

1712





22

Ha 179

PROGRAMMA, qvo, post brevem Dissertationem de Causis, ob qvas

è numerosissimo discentium ubivis Coetu paucissimi
ad Solidam assurgant Eruditionem,
in primis autem, qvæ Instituti nostri sunt,
de Naturæ seu indolis ad discendum Defectu,
aut neglecto saltem Studiorum Deleculu;
de Remissione in Discendo Exercendoq; Ardoris
ut & Ordinis atq; Graduum Intermissoine,
qvæ bene conformata Naturæ bonitas sibi postulat,
deq; Admisione in Musarum consortium Voluptatis,
cum Naruræ, tum Institutioni & Exercitationi
inimicissimæ,

538
P Nobilissimum Amplissimi Senatus,
Patroni ac Nutricii Scholæ nostræ,
Venerandumq; Ministerij, ceu Inspectoris,
Collegium,

nec non Eruditos, qvos HANNOVERA nutrit,
Omnes ac Singulos, qvibus commodum est,
ad benebole ac amice auscultandas Tyronum qvorundam
in dicendo Oratiunculas,

Martii ab IIX. ad XII., & si forte tempus defecerit,
a IX. ad XI. diei seqventis publicè & ex memoria
recitandas,
submissæ, officiose ac peramanter
invitat

And. Christ. Auspurg, S. R.
Hannoveræ cccxci.



Typis Holweini.

Ad 1793.

... ABBEY OF ST. MARY
... GILBERTINE MONKS
... IN THE CLOISTER OF ST. MARY
... IN LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.
... THE
... CHURCH
... OF
... ST. MARY
... IN
... LONDON.
... 1510.



GRavissima sunt, qvibus de Scientia, ejusq;
cūn dignitate tum utilitate, commentari
Judæis solenne esse auctor est Buxtorfius Junior :
*In quo homine Scientia est, in eo sunt omnia : in quo ea
non est, quid in eo est ? Hanc qui possidet, quo destitui-
tur ? Hanc qui non possidet, quid possidet ? Qvod sāne
cum verisimum censeant omnes, qvibus volupe
est ἀδιέμεν ἀνθεμέντα εἰς ἀρετὴς λειμῶνα, qvibus vo-
lupe est Μωσάον χρυσίας δῶνις κελεύθυς. mirari certe
nemo debet, qvod non olim solum, sed nostro hoc
ævo tanto agmine ad augustissimam Scientiæ ac E-
ruditionis arcem contendant homines. Illud vero
est, qvod sollicitos habet qvamplurimos, qvid ni-
mirum causæ sit, qvod ex numerosissimo illo di-
scientium ubivis agmine, tam pauci, tam rari ad in-
teriores reginæ pulcherrimæ amplexus admittantur;
plerisq; in vestibulo hærentibus, aut circum mœnia
faltem oberrantibus, qvibus ab arcanorum aditu
exclusis, præter vanam spem & jactationem qvan-
dam inanem, nihil fere aliud conceditur. Mire
hic torqveri nonnullos videas in explicando, qvo
de loqvimur, argumento. Ex Philosophis qvon-
dam inventi sunt, qvi eandem ingeniorum rationem pu-
tarunt, qvæ est reliquarum rerum omnium, ut ex par-
vis orta principiis temporis protractu majores ac-
quirant vires, donec ad summum tandem perdu-*

A 2

cta

in Floril.
pag. 314.
ex Talm.
Nedar.

Hom. II.
B. II. 2.

Ita decrescant iterum, & suis intereant collabanturque
 decursionum periodis. Alii, qvi ex *astrorum*
 cursu rem omnem metiri didicerunt, corpori cœ-
 lesti, qvod motu, lumine & occulta qvadam vi,
 (*influentiam* dicere consvererunt) in hæc inferiora
 dominatur, hujus rei tribuunt efficientiam. Alii
locorum ac *regionum* constitutionibus rem totam ac-
 ceptam ferunt, siquidem apud Scythes unus tantum
 post hominum memoriam Philosophus extiterit
Anacharsis. Alii *fatorum*, & nescio qvarum com-
 plicationum ac nexuum fatalium, necessitate even-
 ire putant, ut hic perfectiorem, ille imperfectio-
 rem conseqvatur eruditio[n]em. Alii cum Pythagora
numerorum ratione, ex quorum *harmonia* cuncta
 coiissent, effectum id dari auctumant. Alii alias
 commenti sunt causas, causas tamen ita absurdas,
 aut certe alienas, ut, qui ad refellendas eas multum
 insumere temporis ac operæ vellet, is nihil agere
 aliud videretur, quam ut cum illis vel satis absur-
 dus esse, vel aliena ab instituto afferre satagat.
 Qvamobrem contemtis potius iis, quam aperto
 Marte debellatis, eas proferamus sententias, qvas &
Ratio & *Auctoritas* veritati magis consentaneas esse
 persvadent. Sunt qvi causam propemodum omnem
 in *librorum*, qvi pasim luci exponuntur publicæ,
multitudinem devolvant, quippe qvi ambiguos incer-
 tosque reddant dilcentium animos, ut deliberando,
 quem præferant in hac illave disciplina, quemque
 sibi eligant, tempus amittant, operam perdant,
 viamque, qvà eundum, ignorent. Qvæ qvidem opi-
 nio

nio et si improbanda prorsus non est : minime tamen omnem incusare licebit librorum farraginem ; sed agnoscenda potius Dei O. M. bonitas , qvi , distribuendo bona sua atq; dona , multis dedit , qvod cum aliis , ne sibi solum saperent , haud inutiliter communicarent . Unde animadvertisimus grati , qvam elaboratae sint hodie pleræq; disciplinæ , de qvarum tricis ac difficultatibus , præjudiciis atq; erroribus dudum conquesti fuerunt majores nostri . Alii itaq; causam ejus , qvod deploramus , mali arbitrantur *Methodi* , qva utuntur Doctores Scholarum , diversitatem . Verum nonne & illi Præceptores , qvi consveta atq; annorum decursu approbata utuntur informandi ratione , de insigni paucitate eorum , in qvibus egregia solidæ eruditiois spes orbi elegantiiori effulgeat , queruntur ? Dantur porro , qvi *Letionum* , proponi in Scholis qvæ solent , varietatem producant . Dum enim , inqviunt , singulis fere per hebdomadem horis singulæ discentibus objiciuntur lectiones , abesse non potest , qvin , elapsa septima , sub alterius auspicio , oblivionis cineribus involverint , qvicqvid audiverant ante ; siqvidem pluribus intentus minor est ad singula sensus . Atq; utinam hac de re per Germaniam paulo operosius & accuratius dispicerent ingenia perspicaciora ! Verendum enim , ne si unus quis , quid sentiat , exposuerit liberius , multorum in se odiosa derivet judicia . Sed missa & hac causa , sunt rursus alii , qvi *Eruditiois contemtum* cum Celeberrimo Heinsio urgent , utpote quo fieri censem , ut , cum studiis destinati videant , do-

in de
laud. afi-
ni.
etis.

Etissimos saepe viros ab indoctissimis, ad summum dignitatis ac felicitatis fastigium elevatis, contractiore despici supercilio, frustraneum arbitrentur, multo labore ac sudore eniti, qvò nullius rei solidam adepti notitiam adspiraverint. Proinde sagacioris qui sunt ingenii, intelligentes ad honores & dignitates, ad opes & dvitias aliasq; felicitatis humanæ partes expeditiorem facilioremq; esse viam, qvam Patroni ac Fautores, penes qvos juvandi ornandiq; facultas summa, ostendant, posthabitis literarum studiis, aularum, juxta antiquissimum illud Rabbinorum proverbium, *auras captant*, unde non potest optimarum artium neglectus non conseqvi, cum isti votorum compotes facti & liberos suos leviter tantummodo tingi studiis jubeant, & eruditiores modo non extintos omnes cupiant, ne sint, qui, qvam curtam saepe tantis viris supellectilem admensus Apollo fuerit, animadvertant. Qvod quidem nos suo relinquimus loco : hoc tamen non possumus, quin ultrò concedamus, si sius eruditioni ac virtuti ubivis, ut olim, honor constaret ; plures futuros, qui utramq; & ardentius amarent & sectarentur colerentq; diligentius. Sed neq; hanc causam nodum solvere, vel inde liquet, quod non exiguis fit numerus eorum, qui parum solliciti de purpuratorum splendore, nihil tamen minus vel nullum vel exiguum in doctorum Comitiis ac Subsellii merentur locum. Quæcum intelligent alii, *felicia ingenia esse rarissima*, atq; inde virorum erudite doctorum penuriam provenire, existimant. Quorum sententia, utut contenenda

mnenda non videbitur illi, qui exactius animo suo expenderit, injustissimè s^ep^e numero Præceptores eorumq^{ue} labores in jus vocari, si disciplinæ alumno-rum pars plurima parentum votis non respondeant: non tamen exhaustire omne dubium existimaverim, cūm experientia constet, non paucos, si ingenii felicitatem cum laboris assiduitate maritassent, emergere præ ceteris potuisse; sed subsediſſe tamen in imis, quod alia sint, quæ obstent, quominus solidioris doctrinæ amplexibus perfruantur plurimi. Sed quænam sunt tandem illa, inquias? Dicam, B. L., dicam succinēt, quantum in præsenti & temporis patietur angustia & res ipsa postulare videbitur. Verisime omnium, non meo quali quali, sed prudentissimi cuiusc^o judicio ac suffragio, judicasse videtur magnum illud naturæ miraculum Aristoteles, quando ad cuiuslibet habitus perfectio-nem tria ömnino requirit φύσις, μάθησις καὶ ἀσκησις, Naturam seu indolem aptam bonis literis; assiduum di-scendi studium, & nunquam intermissa Exercitatio; quæ quidem communi vinculo, & quasi societate quadam, inter se ita continentur, ut separari ac divelli invi-cem non possint. Natura fundamentum ponit; Doctrina & Disciplina, cūm amore discendi con-juncta, ædificium extruit; Exercitatio vero perfectio-nem quandam addit & ornatus elegantiam. Illa ra-dicis, ista stipitis ac ramorum, hæc florum vicem sustinet: ipsa vero Scientia & Eruditio uberrimi in-star ac dulcisimi fructus est. Quemadmodum enim fructus sine præmissis floribus, sine ramis, sine sti-pite,

pite, atq; hic sine radice existere non potest : ita
sine crebra, sine jugi exercitatione frustra expecta-
bis eruditionem : nequicquam autem exercebis,
quod nondum didiceris ; at feliciter nunquam di-
sces, nisi idoneum te ad discendum natura finxerit.
Nihil enim dices, nihil facies invita Minerva , vel
invito potius Deo. Nam id à duobus reliquis na-
tura differt requisitis, quod ista in hominis arbitrio
posita sunt ac viribus ; hæc vero donum est illius
omnis boni auctoris ac datoris Dei. Unde Celebra-
tissimus ille Hipponensium Antistes : *Sis tu, Domi-
ne, inquit, Deus meus : quia & celeritas intelligendi &
discendi acumen donum tuum est.* Et Minutius Felix :

I. IV.
Confest.
in Dial.
**qui Octa-
vius in-
scribitur,**

*Apparet, ait, ingenium non dari facultatibus, nec studio
parari, sed cum ipsa mentis formatione generari.* Naturæ
autem hujus ad comparandam eruditionem solidam
tanta est necesitas, ut, si una illa defecerit, frustra ad-
hibeantur reliqua. *φυσις αὐτωπατίθετος*, verba sunt
Philosophi, *κενεὰ ἀπάντητα*. Quemadmodum Medicus
nullam spem vel ipse concipere, vel aliis facere po-
test de sanitate ægrotanti restituenda, cuius naturam
adeo morbi viribus superatam, vitiis infectam &
adversis omnibus consumtam videt, ut medicamen-
tum nullum admittat : ita quoq; ubi animus omni-
vi ac facultate capienda disciplina destitutus, boni-
tate nulla instructus, ac ne mica quidem salis in to-
to homine ineft ; quis spem solidæ eruditionis de eo
concipiat ? quis perfectam de ipso sapientiae cogni-
tionem pollicetur ? Nonne manebit Thersites,
Thersitem quem natura formavit ? Nonne Corœ-
bus

bus & Morychus, quem talem Parentes, sinistro fa-
to atq; omne progenuere? Proinde cum sine inge-
nii felicitate frustra plerumq; suscipiantur docentium
pariter ac discentium curæ, labores ac vigiliæ; ap-
prime utile & maxime necessarium videtur, ut pa-
rentes liberorum, quos mancipare studiis volunt,
indolem ad studia ingenicq; vires ac facultates, quan-
tum fieri potest, accuratissime vel explorent ipsi,
vel explorandas altis subjiciant, nisi jacturam tem-
poris æq; ac sumtuum deplorare olim serio, sed sero
cum Phrygibus sapientes, velint. Hæc autem non
in eam rapi partem voluerim, quasi nemini animum
adjungere ad studia liceat, nisi qui excellentissimum
in se ingenium & indolem felicissimam deprehende-
rit. Dantur enim ingeniorum, quæ ad liberalium
artium studia apta sunt, quidam quasi gradus, ut, si
cui non optimum contigerit, satis sit, si melius cete-
ris, si bonum saltem nec plane ineptum adeptus sit
à natura ingenium. Honores quoq;, ceu præmia
eruditis proposita, sunt diversi, pro munera ac
provinciae, quam capit & ornat quisq;, diversitate.
Ut proinde hæc naturæ in distribuendis bonis suis
inæqualitas res omnino sit divinæ sapientiæ, rerum
humanarum directricis optimæ, maximæ. Quod
si enim omnes, literis qui invigilant, excellentibus
æque instructi forent ingeniosis; omnes tamen ad
idem honoris ac dignitatis fastigium assurgere non
possent, futurum esset, ut invidiæ, malevolentiæ ac
odii invicem flammis exardescerent, remq; turbarent

rent publicam qua Civilem qua Ecclesiasticam. Atq; hæc vel præcipua causa esse videtur, quare Deus & natura summa omnia uni alicui non tribuant, sed plerumq; si quid uno loco effuderint, aliud altero loco vel instillent guttatum, vel avara & novercali quasi manu detrahant. Hinc nihil familiarius usu venire videmus, quam ut, memoria qui valet, careat judicio; quiq; judicij acumine ceteros antecellit, ipsi in percipiendis rebus aut memoria tenendis promta desit celeritas. Cumq; pro ingenii varietate varia quoq; sit ad varia & diversa disciplinarum studia propensio ac proclivitas; fieri haud raro solet, ut, qui stipes prorsus in una quadam disciplina deprehendatur, si ad aliam animum applicet, mira edat specimina, ac vi ingenii sui aptum se & plane natum ad eam esse ostendat; cum contra, qui ingeniosissimus in certo disciplinæ genere est, alii applicatus studio hæreat sine proventu & eruditionis & gloriæ. Ita hærere quis potest in primo Poëseos vestibulo cunctabundus, ut nec aditus pateat ullus, nec via in invia isthæc Musarum regna: sed excipit eum fortasse gratiùs Eloquentia spatiis suis, & campis amplissimis exultantem libere triumphantemq; committit. Alium Mataphysicses difficultates atq; horrida, præsertim primūm adeuntibus, Spiniceta sic pungunt, sic à disciplina hac deterrent abstinentq;, ut vix ullum ejus laborem ferat aut studium: sed aderit ex templo scientia Christianorum moderatrix officiorum, seq; ipsi, pro ea, qua quotidie

Exem-
plum vi-
de ap.
Huartum
p. 76.77.

die magis ac magis potest polletq; in omnes, auctoritate, communicabit. In Mathematico alias diu multumq; versatur pulvere, & tamen ex infinitis propemodum rebus, quas scientia hæc proponit oculis, solidæ nihil intimæq; doctrinæ, sed levissima quæq; duntaxat, & vere superficiem tenuit: sed veritat, si placet, oculos, animumq; adjiciat ad rerum humanarum, aut etiam divinarum, cognitionem, & quam à Matheſi gratiam aucupari non poterat, quis scit, an non ab humanissima disciplinarum principe facilius ingenioq; suo accommodatius sit impetratus. Quilibet, ut paucis multa complectar, quilibet, modo non aliò, quam quò vocat impellitq; natura, nitatur, modo non *vervecum in patria crassoque sub aere natus*, inveniet aliquam in universo bonarum artium ac scientiarum ambitu, cuius ad studium certissimamq; possessionem factus ab ingenio formatusq; videatur, cum fere omnes, quicunq; literis informari volent, in una quidem certe possint, quanquam nemo unus excellere facile possit in omnibus. Commisseratione autem digna res est, hominem ita sine spe præda: morari in scopulo, ac laborando nequicquam caput, quod ajunt, rumpere in studio, in quo progressus vel minimos facere æque ipsi proclive sit, ac bene olere illi, in culina qui habitat. Ut taceam, quod ejusmodi literarum cultor, qui scientiæ parum naturæ suæ convenienti se applicuerit, mancipium ejus se reddat: disciplinam autem aliquam discere

B 2

cum

Plato in
dial. de
justo.

cum servitute, liberum non decet hominem ; quippe *ingentes corporis labores vi suscep*t**, multo deterius *corpus afficiunt* ; animi vero *disciplina*, si violenta fuerit, *stabilis non est*. Incommoda vero quid dicam, quae ex neglectu hujus curae, tanquam ex equo Trojano, proru*p*unt vitamq*e* hominum communem invadunt & modo non conficiunt ? Unde, quæso, tot Rerump*s* superioribus temporibus perturbati*o*n*e*s atq*ue* clades, tot bella & tumultus ? Causa certe, si quid recte video, non alia est, quam quod illi, quibus natura ingenium Theologiae studio aptum haud finixerat, Christianæ religioni vim ita enormem intulerunt, ut ipsas adeo hominum animas salute æterna multaverint. Unde tot lites in foro ? tot Legum contorsiones, tot bonorum extor*s*iones ? Unde, amabo vos, nisi ab illis, quibus, præter os, linguam, perfidiam, malitiam, audaciam, confidentiam ac fraudulentiam, natura nihil dedit ad Jurisprudentiae studium, ad Legum rectum usum rectamq*e* interpretationem, conveniens atq*ue* idoneum. Et verò nisi pari ratione ad Medicam excolendam artem inhabiles prorsus ineptiq*e* accederent plurimi, tot hominum valetudo ac vita non periclitaretur. Quid multa ? Conveniunt in eo veteres Philosophi, conveniunt hodie prudentissimi quiq*e*, pedibus quasi in hanc & ratione & experientia comprobata euntes sententiam, quod natura, in disponendo ad artem vel scientiam homine, deficien*te*

te, tantum absit, ut perfecta ab eo expectari possit eruditio, ut frustra potius in regulis ac præceptis laboretur. Comprobat hoc inter alios bene multos suo *Gerhardus* exemplo, qui, per triennium opera arti Medicæ navata, ubi rem minus sibi feliciter succedere sentiret, mutato consilio animoq; ad Sacra studia applicato, primo statim anno Meditationes suas sacras cum orbis universi approbatione edidit, eluctatusq; mox difficultates omnes, magnum Ecclesiæ Evangelicæ Lumen evasit. Proinde ne quis ipse sibi imponat in eligendo tali studiorum ac vitæ genere, ad quod natura sua vel plane ineptus vel certe non satis aptus sit; prudentis *Præceptoris* est, in eam curam incumbere, ut, explorata discentis natura, Parentibus persuadeat, ne ipsius voluntati ac arbitrio eligendi libertatem hic permittant, sed ad illud sectandum studium, qvod ingenio ejus convenientissimum videtur, destinent, vel invitum & ingratias. *Parentes* autem, si svaderi sibi, si consuli recte liberis velint, pro ingenii ratione ac modulo studiorum quoq; metam figant ac scopum, neq; majora vel à *filiis* vel eorum *doctoribus* reqvirant, quam requirere ab utrisq; jure possint ac debeat. Neq; *discentes* etiam altius, quam natura naturæq; auctor Deus vires concesserit, evolare concupiscant, ne vel à medio literarum cursu facti pœnitentes retrahantur desperatione, vel ad finem usq; nullo operæ pretio, pertinacia potius quam stu-

studiorum πρόκοποις perducantur. Verbo Paulinoꝝ rem omnem expediam : *Ut vocati esis, inquit divino rore rigatum os illud, ita ambulate.* Si quis excellentem & ad summa qvævis natam intra se animadverterit indolem ; scopum illum, qvem Supremus ille rerum arbiter ipſe fixit, ex oculis nunquam aut animo dimittat ; sed enitatur potius, quantum labore, quantum studio potest maximo, ut eum contingat olim cum applausu omnium & ad patriæ, cui natus, emolumentum, & ad Numinis divini, cui servire unice debet, gloriam, memor in omni vita illius divinæ veritatis : παντὶ, ὁ ἐδόθεν πολὺ &c. Illud vero unum præq; omnibus videat attendatq; ut, si excellenti præ ceteris Judicio à Deo & benigna natura sit dotatus, judicio scilicet non servo, non opinionibus perversis mancipato, non abjecto, non vago aut temerario, sed ab omni falsitatis implicatione absoluto, recto, constanti, gravi, qvod rerum momenta & intelligat bene, & causas abstrusas disqvirat acriter, & difficultates omnes penetret exactissime, ut, inquam, illud iis consecrat disciplinis, qvæ abditissimas rerum naturas & obscurissima qvæq; perrimantur : hæc enim perspiciet unus omnium felicissime, & sine difficultate, sine mora ; perinde ac face qvadam lucidissima præunte viam, licet tenebris densissimis obfuscatam, & cito & tuto & recte emetimur ; proinde & his natum se & à Deo destinatum existimet, ad perf-

Luc. XII,
48.
Conf.
Matth.
XXV.18,
25.26.

fectam in iis sibi comparandam eruditionem. Contra si ingenio, si memoria instruetum se sentiat felicissima, missis illis, ad ea animum appellat studia, quæ requirunt eam facultatem, qva, quæ vel judicio recte perspiciuntur, vel sensuum ministerio ipsi deferuntur, arripiuntur facillime, arrepta conservantur, conservata, quoties opus est, redundunt celerimē, non morose. Aliter namq; si fecerit, si judiciosus ea studia tractanda sibi sumferit, quæ memoriæ propria sunt, aut memoria plurimum polleens ad eas disciplinas curas & cogitationes præcipitaverit, quæ judicio relinquendæ erant, neutra via ad ἀκμὴν quendam seu perfectionem perventurum se sciāt. Nam vel in ultimis eruditōrum consistet, vel plane deferere studia inauspicato cœpta cogetur; non aliter ac si faber lignarius ea obierit munia, quæ agricolarum sunt, aut textor architecti se opificio immiscuerit: aut Jctus sanare, Medicus causas dicere sibi sumferit; neq; potius eam quisq; artem, relictis alieni muneris functionibus, factitaverit, cui exercendæ ipsa eum natura sua quādam aptitudine destinavit, qvorum sane operâ perfectio, quæ publice conveniat bono, perduci nullâ ratione poterit. Est enim, ut supra jam attigimus, est ingenium hominis certis atq; definitis singularum artium ac disciplinarum limitibus circumscriptum, ut non nisi uni recte obeundo vitæ generi sufficiat, adeoq; diversa quis sectatus fuerit, abesse non possit,

fit, quin in alterutro hallucinetur. Utinam vero
observarent hoc generosa cum primis discentium
ingenia; futurum sane esset, ut summi in omnibus
facultatibus ac scientiis viri, ieq; majori numero,
atq; ullo antea tempore, existerent, haud alio
medio aut mysterio, quam quod natura ita cum
arte, ingenium cum opere svavi harmonia conspi-
ratura invicem videantur.

Qui vero εὐφύαν hujusmodi nactus non fuerit,
is, et si spes non est, fore ut excellentiora illa bonitate
indolis assequatur ingenia, non tamen omnes sibi
emergendi modos negatos, omnes ad honores, &
in primis ad velificandum honori divino, aditus in-
terclusos esse arbitretur. Quod igitur possunt, id,
præmissis ad Deum precibus, omni contentione a-
nimi agant, persuasi, nec se frustra laboratueros, aut
inanis futuros, quos impendunt Musis, labores.
Taceo, quod experientia liqueat, sæpenumero me-
diocria illa, si preces piæ, si assiduus labor vitæq; in-
tegritas accesserit, eluctata esse altius, quam inge-
nia nonnulla generosissima, id quod apolo go de
Cochlea & Aquila docere sapientes veteres voluisse
constat. Quod si cui vero natura seu indoles ad
studia contigerit prorsus inepta, is amicè monendus,
facestat procul, tanquam à templo profanus, ab e-
rudito eorum Tameo, qui naturæ destinatione ad
sapientiam informantur: Sic enim de iis ipse decer-
nit habitus oris, ac tota corporis facies & constitu-
tio,

tio, sic mores & quædam animi lineamenta pronunciantur. Et vero quid aliud erit, admoveare istum literis, quam ex pumice extorquere, aut haurire cribro velle aquam. Ad μάθησις nunc & δοκιμήν, duo illa reliqua perfectæ eruditiois requisiita progrediendum est: qvæ tamen, cum instituti nostri ratio aliter non ferat, paucis saltem delibabimus. *Discentiam* illam nonnemo superiori seculo, & olim Tertullianus nec non Cœlius Rhodiginus appellarunt.

Hujus vero initium mature faciendum. Etenim ὀψιμαθεῖς raro fiunt πολυμαθεῖς. Ut itaq; χρεῖτον, ὀψιμαθεῖς esse, quam ἀμαθεῖς; ita omnes mecum affirmaturos censeo, præstare παιδομαθεῖς esse, quam ὀψιμαθεῖς. Quanquam enim plurimum momenti in Natura illustri atq; eximia ad perfectam rerum scientiam parandam positum est: non tamen velim quisquam existimet, ita omnia in ea sola esse sita, ut præterea nihil amplius requiratur, aut opus sit. Qvin illa, nisi μαθῆσι excolatur uberius & expoliatur, non sterilescit modo paulatim, sed sæpenumero penitus obbrutescit. Qvod ipsum auctor gravissimus Plutarchus, re vera vir sui nominis, h. e. πλάτων ίας ἀρχας, dudum inculcavit: Αγαθὴ γὰρ, inquiens, ἀμελητεῖσα χερσέεται, καὶ στρῆθι φύσει βελτίων, τοσύτῳ μᾶλλον ἐξαργυρεῖσα δι' ἀμελειῶν ἐξαπόλλυται. Neq; enim ille integer est jam, qui pristinus fuit naturæ humanæ status; sed cor-

vid. Tob.
Magir. in
Polymn.
p. 698.

vid. apud
Ibid. Pe-
luf. l. IV.
Ep. 155.

in de-
Puer-
rumedu-
catione
c. 5.

rupta jam sunt omnia, Satanæq; fraude ita destru-
cta, ut vix vestigia dignitatis pristinæ in illa agno-
scas. Hic itaq; medicina, hic correctione opus :
ea autem unde peti potest præstantior, quam ab
educatione prudenti ac doctrina ? Doctrina sola
perficit, in quo Naturæ defectus laborat ; & sola
Educatio absolvit id, quod parentes imperfæctum
reliquerunt. Multi quidem, si dñs placet, Philo-
sophi, nescio in quo antro Tryphonio edocti, aliter
statuentes, Naturam nulla doctrinæ vi expugnari,
nullisq; Educationis studiis superari aut corrigi posse
censem : voluntatem hominis liberam esse dicunt,
quæ cogi nulla ratione possit ; cui nihil, quod recu-
sat, obtrudatur, nihil, quod appetit, extorqeatur.
Verum inepre sentiunt, qui ita sentiunt, id quod
multis cum argumentis tum exemplis comproba-
rem, si & tempus ferret jam, & res, qvæ lucet per
se, postularet. Et licet hæc omnia admittamus, ni-
hil tamen damni nostræ inde infertur sententiae.
Naturam enim nos felicissimam requirimus, & eam
urgemus institutionem, non quæ desperatis planeq;
deploratis hominibus ; sed qvæ adolescentibus, ad
solidam qui eruditionem perfectamq; sapientiam con-
tendunt, adhibenda est. Hæc si justo adhibetur
tempore, plurimum momenti habet, tenerosq; &
mollescentes puerorum animos, tanquam teneram
virgulti frondem, quo volueris, flectit facilime.
Proinde ut Parentum est, bonam liberorum in-
do-

dolem curare ; ita liberos decet, laborem, qvi ad excolendos animos necessarius omnino est, non a-versari, sed quasi exosculari. Consistit autem labor iste in primis in discendo. Felicissime autem discit, qvi à teneris ungaviculis discere incipit. Altius enim præcepta descendunt, qvæ teneris imprimuntur ætatibus, ut gravissime monet Seneca, nec tantum celerius, sed perfectius etiam imbibuntur, qvæ discuntur à pueris, ait Vegetius. Cum autem discere non sit stertere, non pigritia diffluere, non cululos evacuare, non chartis aut tesseris ludere, sed laborare, sed auscultare, sed legere, sed meditari & in memoriæ gazophylacio optima qvæq; recondere ; qvam itaq; absurdum est, discipulum profiteri, & discendi laborem subterfugere & modo non detestari ? Protecto temeritatis ac dementiae non vulgaris stigma inurendum videtur illorum frontibus, qvi sub honorificentissimo dissentium titulo nihil qværunt aliud, qvam otium, ignaviam, luxuriam. Discendum est, discendum est, ô Juvenis, non stertendum, non garriendum : dissertationibus certandum est, non compotationibus ; libri sunt evolvendi, pervolitandi, non exhauriendi calices. Verum enim vero, qvia hæc omnia in ipsis Solis meridiani radiis prescripta videntur, relicta etiam Doctrina, pergimus ad Exercitationem. Quemadmodum autem Natura torpet sine Exercitatione : ita Naturam & Disciplinam vix alicujus momenti censeo, nisi utramq; perfici-

in Con-
fol. ad
Helv.

1. de re
milit. c.
4.

at Exercitatio. Certe absq; hac si fuerint præcepta,
 qvid, qvæso, erunt, nisi ἐπει πλεόντα, exsangvia &
 emortua sceleta. Adsit judicium promtissimum,
 vigeat memoria tenacissima : ardeat desiderium &
 amor disciplinarum ; recludantur doctrinarum the-
 sauri omnes ; institutio deniq; & educatio accedat
 optima ; sola vero desit & intermittatur Exerci-
 tatio, qvid, qvæso, præclari, qvid solidi, qvid per-
 fecti in capeſſenda Eruditione ac Sapientia præsta-
 bitur? Nonne fruſtra reliqua adhibebuntur omnia ?
 nonne incassum laborabunt universa ? Sane ut otium
 & laborum fuga metropolis qvædam eft omnium
 vitiorum : ita exercitatio contra & laborandi stu-
 dium omnis boni præſidium. Hæc enim virtutem
 producit, eruditionem parit: hæc honestatis magistra
 eft ; hæc scientias omnes invenit, inventasq; con-
 servat : uno verbo ; qvicq; in humanis rebus
 præclarum eft, vel aliquam dignitatem obtinet, foli
 Uſui & Exercitationi acceptum ferendum. Eſi
 autem inveniantur nonnulli fortassis, qvi nec labo-
 ribus nec exercitationibus parcant, qvi studiis, qvi
 contentionibus nullum finem faciant : in aliis ta-
 mén qvibusdam, qvæ ad exercitationem necessa-
 ria reqviruntur, deficere eos animadvertisimus. Eſi
 enim *Ordo* appositus & minime confusus, eft *gra-*
duum in discendo certus tenor omnino ad eam qvoq;
 rem necessarius, ut nec præcipites curas & cogita-
 tiones, puer in adolescentiorum, adolescens in ju-

ve-

venum, juvenis in virorum ruens studia, nec præpostere qvicqvam aggrediaris aut tumultuarie peragas; sed ordine, distincte, justo convenientiç tempore conficias. *Opum* quoq; & pecuniarum, quæ nervi sunt rerum gerendarum, & librorum, qui instrumenta Eruditionis, impendia magnum hoc adjumentum conferunt. Hisce deniq; omnibus *vitæ diuturnitas, temporis commoditas, ociūm accommodatum, voluptatum contemtus omniumq; impedimentorum vacuitas, annumeranda, quæ quilibet prudens Lector, vel me tacente, ad literarum studia perficienda necessaria intelligit, sed latius à me pertractari nec possunt nec debent. Neq; enim quævis, dici quæ poterant, sed quædam saltem, quæ dici debebant, hoc tempore in medium perducenda esse duxi. Quæcum ita sint, facile inde constare arbitror, quænam ad perfectam Eruditionem requirantur; quibus rebus si eos, qui ad bonarum artium ac disciplinarum studia animum applicant, metimur, facile appetat, cur non omnes summum illud fastigium, quod quosdam consecutos esse veterum monumenta testantur, conseqvi videamus; cum non cuivis vel ingenium exquisitum, quale hic requiritur à Natura sit tributum, vel ea cum Amore discendi studiorumq; Deledu conjuncta Institutionis ratio, quam optime conformata Naturæ bonitas sibi postulat, adhibeat; vel Exercitatio, Opibus, Libris aliisq; adjumentis stipata, accedat; vel Ordo, qui olim in Scholis viguit, obser-*

Demosth.
6. 8. c.
Plut. de
P.E.

servetur in discendo, vel *voluptas* deniq*ue corporis*,
 immodica cum primis & bruta poculentorum ingur-
 gitatio, evitetur, in qua multi haud minimam Boni
 Jucundi partem ponunt; quæ opinio si semel occu-
 paverit animi arcem, tam altas agit radices, ut evel-
 li vel nulla ratione possit, vel difficillime. Unde fit,
 ut quod Sapientiæ studio impendendum tempus e-
 rat, compotationibus destinetur, quibus cerebrum
 debilitatur, hebetatur intellectus acumen, judicium
 evertitur, memoria destruitur, ardor discendi re-
 mittitur, &c., si quid antea didiceris, hac peste rursus
 expellitur. Videlis, B. L., qvam late adhuc mihi
 pateat dicendi campus. Sed cum sua hæc luce radi-
 ent, satis esse censeo capitalem hunc Studiosæ Juven-
 tutis vel nominasse holtem. Si qui sunt etiam hic
 loci bacchantes ejusmodi bibones, qui paternas Præ-
 ceptorum admonitiones susq*ue* deg*ue* habere non vere-
 antur; illos præter exquisitissima supplicia, quæ
 non declinabunt, ira Dei & exclusio à doctissimo-
 rum virorum societate, contemtus, &c., grave illud
 opprobrium, paupertas, velut umbra corpus, sub-
 sequentur. Qvorsum verò ista, quæ adhuc disser-
 ri, qvorsum hoc tempore? Dicam: adverte pau-
 lulum, B. L. animum. Qvæ de tribus solidæ Eru-
 ditionis requisitis, φόσται, μαθῆται & ἀσκήται hactenus
 explicata quadantenus fuerunt, ea in primis non in-
 super habuerunt Adolescentes nonnulli, disciplinæ
 nostræ alumni, infra nominati. Hi enim ubi magis

ac

ac magis cognoverunt, datam sibi à Bonitate divina ἐνφύαν nec vulgares ingenii dotes, tantum abfuit, ut eas negligenter incultasq; linquerent, ut potius prius nihil effet aut antiquius, quām eò contendere & anniti, ut uberior aliquis naturæ splendor accederet. Itaq; nullum prorsus laborem pertæsi avidissime, tanquam diuturnam sitim expleturi, didicerunt, quæcunq; discenda ipsis fuerunt proposita. In quibus cum & Rhetorices præcepta fuerint, non nuda saltem ea imbibere, sed & usum eorundem atq; Exercitationem urgere voluerunt. Materiam Tyrocinio huic oratorio convenientissimam existimarent hanc ipsam, de qua differuimus, doctrinam de *Natura ejusq; in efformandis cùm Ingeniis literariis tum Moribus varietate*, ut & de Studiorum, qui inde consequitur, *Deledu*, pro cuiusvis indole ac ingenii viribus, nec non de Literarum, Artium & Scientiarum Amore, ἐνφύας effectu illo ac indicio præcipuo, de Ordine Studiorum tam docentibus qvām discentibus ratione *Doctrinæ* observando, & deniq; de voluptate corporis magnis plerumq; adjuncta ingeniis, una tamen præq; omnibus una, ceu peste, vitanda fugiendaq; magna ex parte in Logicis, in explicando Analytices Subiecto, inculcatam, & deinde exercitii ac styli ergo aliquanto copiosius diductam, & pro singulorum captu exornatam; ut vel inde pateret illud Tullianum, qvod omnes artes commune quoddam habeant yinculum, & so-

cietate qvadam inter se contineantur. Ut igitur singulorum Thematibus Programma nostrum accommodarem, placuit hoc ipsum, præmissis quibusdam aliis studiorum impedimentis, variisq; hac de re philosophantium opinionibus, feligere argumentum. Qvæcunq; autem pro ingenii mediocritate differuimus, non iis, qvos invitamus, non, qvibus legendas pagellas hasce exhibemus, sed discipulis nostris consecravimus. Illis enim cognitisima hæc esse novimus ; his autem inculcari eadem nunquam satis posse persuasi sumus. Qvæ itaq; commenti his de rebus sumus, à discipulis nostris sine ordine hoc ordine in Scenam producentur ;

I. *Prologus, Ludov. Albertus Dankauer, Hannov.*
Actus nostri Argumentum exponet, & Auditorii Benevolentiam captabit, Oratione Lat. Prof.

II. *Ulricus Nicolaus Westphal, Hildesensis*
ostendet, quām necessarium sit animum ad studia literarum applicaturo, explorare prius Naturam, h. e. non animi solum propensionem, sed & Ingenii vires, ne invita, qvod ajunt, Minerva rem tantam tantiq; momenti aggrediatur. Lat. Prof.

III. *Georgius Fridericus Sprengel, Neost. Hannov.*

IV. *Fridericus Lentz, Helmstad.*

V.

V. Georg. Andreas Coss, Gladebeca-Hannov.

VI. Johannes Fridericus Weidemeier, Hannov.

Hi quatuor adumbrabunt discentium singulis
definientq; Naturam seu Indolem suam, ut qvisq;
non se solum, & ad qvam hominum Classem
ratione Ingenii sui literarii referendus sit, probe
cognoscat, sed qvarum rerum studiis Natura sua
aptus sit, qvid agere, qvid moliri, qvid assu-
mere literarum, qvid perseqvi, qvid omittere
debeat, velut in tacito liquidi lapsu fluminis,
perspiciat, omnes Lat. Prof.

VII. Johannes Ludolphus Richhelm, Wettberga-Hannov.
de Ordine in Discendo & Gradibus verba facturus
exponet, qvo consilio olim instituti sint, &
qvantum ad communia literarum studia mo-
menti ac emolumenti afferre possit eorum Ob-
servatio, quantum detrimenti Neglectus. L.P.

IX. David. Christoph. Heimann, Hannov.

Silentio non prætermittendum ducet id, qvod
unum interturbat, qvæ differuerunt superiores,
omnia, dulce scil. voluptatis, adhærentis plerumq;
magnis ingenii, venenum, qvod nisi in tempore
caveatur ac devitetur sedulo, frustra qvis se ipsum
cognoverit, frustra proclivitatem naturæ suæ ac in-
dolis perspicerit, frustra ad certum fibi accommoda-
tum studium & animum & cogitationem adjecerit.
L.P. Proinde

IX. Ernestus Hermannus Timaeus, Tündera-Hannov.

de Discentiæ seu Diligentiæ in discendo Necessitate
dicturus, Effectum eam & Indicium evpias, cer-
tissimum, Remissionem verò ejus eruditionis so-
lidæ impedimentum esse maximum demonstrabit.
L. P.

X. Johann. Heinr. Rodovius, Mündera-Hann.

idem præstabit Idiomate Græco.

XI. Johann. Ludolph. Beeke, Hannov.

Naturæ in efformandis hominum Moribus, eorum
etiam qui eodem & tempore & loco, iisdem paren-
tibus una eademq; hora nati sunt, Varietatem deline-
abit, pravitatemq; adgenitam emendandam,
Bonitatēm vero excolendam svadebit. Orat.
Lat. Ligata.

XII. Epilogus, Ferdinand Neuburg, Reelk, Lipp.

Actus Oratorii summam paucis repetet L. P.
& Auditorio decentes ager gratias, vernacula
ligata.

Cæterum hi omnes ex memoria recitabunt, partesq;
suas pro virili tuebuntur.

Hisce ergo Musarum sacris ut Vos, o Patroni,
Fatores ac Amici nostrorum, h. e. optimorum stu-
diorum, Spectabili Vestra præsentia interesse, Ju-
venumq; de rebus tam utilibus, tam jucundis dictu-

ro-

rorum industriam frequentia audiendiq; diligentia
 animare, in primis vero Benevolentiae Vestrae de-
 claratione ad majora subinde prolectare, inq; studiis
 literarum eo, qvo par est, amore atq; ardore porro
 excolendis ad eruditionis qvandam $\alpha' \mu \eta \nu$ provocare
 &, qvasi stimulis qvibusdam, excitare velitis, majo-
 rem in modum contendimus. Hac enim spe, hac
 fiducia freti Vos omnes ac singulos, qvotqvot eru-
 dite doctos, qvotqvot literarum amatores Hannove-
 ra nostra alit, submisse, officiose ac peramanter in-
 vitamus, utq; Martii, hora ante meridiem
 IIX., &, si audiri omnes non poterunt, die seqv.
 circa horam matutinam IX. in consveto Acroaterio
 freqventes compareatis, obnixe rogamus. Devin-
 cietis Vobis nos multo arctius hoc novo beneficio,
 qvam unqvam antea, nosq; non tantum grato id
 agnoscemus animo, sed nullam officiis eundem,
 qvibus poterimus, declarandi occasionem præter-
 mittemus. Ita valete optime, & Scholæ, Studiisq;
 nostris favere pergite !



101
tiorum ieiuniorum in eisdem annis exalitatis regnanteis
imperiorum, ut piam etiam anno transversatione Vefissis de-
claracione ea est, quae in primis et prioribus, cum iudicis
processu, quo est et ab aliis, sicut eto loto
processione, quae in primis et prioribus, excepit eto
etiam in monachorum concordia. Hoc enim iste, pec-
catus fuit, nos omnes in hincor, deinde eti-
am dogoz, duximus, propter suos Humanas
et rationes sive, sicut, officia, ea persumunt in
autem, unde, M. si, post dies intermissionis
H. et, si, si satyri omnes non poterint, die ipsa.
etiam postea mutuus XI. in exercitu Acciditio
videtur esse conditum, operae Iosephi. Davi-
dus etiamque conditum, sicut nec nova petra, et
vetus, non sicut, videtur, sed tunc, videtur, quod
dipensat, quod sicut, videtur, sed tunc, videtur,
videtur, sicut, videtur, quod sicut, videtur, sicut,

Ad 1493

vol 10



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-711085-p0032-5

DFG



IMA, Sertationem

qvas
is Cœtu paucifimi
tionem,
noſtri ſunt,
ndum Defectu,
um Deleclu;
cendoq; Ardoris
ntermiſione,
itas ſibi poſtulat,
ortium Voluptatis,
& Exercitationi

ſimi Senatus,

olæ noſtræ,
ceu Inspectoris,

1,

INOVERA nutrit,
commodam eſt,
Tyronum qvorundam
ulas,
re tempus defecerit,
e & ex memoria

ramanter

g, S. R.
CCXII.

